DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE MORBIS INTESTINI RECTI EX ANATOMIA DIJVDICANDIS;

QVAM

AVSPICANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO,

DN. PLACIDO,

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S. BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRÆ ZELLENSIS ET IN FRANCKERODA AD VVERRHAM DOMINO, S. FACVLT. THEOLOG. ADSESSORE PRIMARIO, ETC.

EX DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI DECANI ET SENIORIS

DN. D. JOH. ANDREÆ FISCHERI,

CONSIL. ET ARCHIATR. ELECT. MOGVNT. PATHOLOG. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. PRIM. NEC NON MED. PROVINC. DVCAL. ISENAC.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

UNACVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS ANNEXIS LEGITIME ADIPISCENDO,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVTOR ET RESPONDENS

CAROL. JEREM. CALMANNVS, Budiſſa-Luſatus,

Medicinæ Practicus Ruthenenſis,

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

D. V. AVGVSTI, A. R. S. M DCC XXVIII.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

PROŒMIVM.

QUod ex ſedula, attenta & ſolida partium corporis tam externarum quam præcipuè internarum luſtratione & inſpectione Anatomicâ, quæ alias optima medicarum controverſiarum dijudicatrix eſt, plurimi, imo fere omnes machinæ humanæ affectus & ægritudines optime quoad indolem & noxios ſuos effectus cognoſci queant, jam dudum ſana ratio nobis dictitavit, experientia confirmavit & ſuffragium atque conſenſus celeberrimorum quorumcunque Medicorum corroboravit. Hinc recte Anatomia cum Doctiſſ. HOFFMANNO in Diſſert. de Anatomia publ. & oculus & fundamentum palmarium totius Medicinæ appellari meretur, quoniam deficiente hac ſcientia omnium reliquarum Artis noſtræ diſciplinarum cognitio difficilior atque obſcurior redditur. Ecquis enim Medicorum unquam Phyſiologiam, quæ corporis noſtri ejusque partium conſtitutionem naturalem, functiones & uſum tradit, exacte addiſcere poterit, niſi antea ex Anatomia illarum ſtructuram & texturam, connexionem & actionem perfecte cognoverit? id quod vel unicum circulationis ſanguinis exemplum, cujus inven-

tionem non ſolum Anatomia facilitavit, ſed & adhuc ejus procedendi modum optime illuſtrat, ad oculum demonſtrare poteſt. Quis quæſo in Pathologia *&* Therapia *ſalutares unquam faciet progreſſus, niſi antea ſitum, magnitudinem & conſtitutionem partium, quæ omnia ex Anatomia petenda ſunt, exacte calleat? prout etiam hoc latius jamjam demonſtrarunt Celeberr.* HOFFMANNUS in Diſſert. de Anatomiæ in Praxi Medica uſu pag. 32. & VIEUSSENS in Tr. de novo Vaſor. Syſtemate p. 119. *Qui imo! totum etiam* Chirurgiæ *fundamentum, niſi ſcientia Anatomica ſuffultum eſſet, certiſſime corrueret, quoniam illa inprimis admodam exactam partium quarumcunque corporis noſtri cognitionem requirit, in cujus defectu plerunque inſigniter hallucinantur atque errores nulla poſtmodum arte iterum emendabiles committunt tonſores & balneatores hodierni, egregio Chirurgorum nomine quidem ſuperbientes, ſed præter hoc nihil plane ſolidi neque in dictis neque in factis ſuis demonſtrantes.*

Placet igitur ac perplacet, ſemperque placebit mihi veriſſimum illud Anatomiæ elogium, quod MONTANUS *quondam huic diſciplinæ tribuit dicens:* Anatome eſt Alphabetum Medicinæ, quo fundamento neglecto, reliquum ædificium neceſſe eſt corruat, cum abſque eo nec partium functiones neque proinde earundem læſiones cognoſci aut diſcerni commode poſſunt: *Cuicunque enim Medico animus in hujusmodi ſtudium propenſus contigit, is ſane certiſſime in Pathologia præprimis & Therapia progreſſus fere invidendos faciet, atque favente Numine, indefatigabili ſua induſtria, veritates etiam prius incognitas in apricum proferre potis erit. Et hanc maxime ob cauſam ego me nunc haud injuſte facturum arbitror, ſi impræſentiarum,*

ean-

eandem, quam hactenus monſtravi, viam ſeligens, loco ſpeciminis cujusdam inauguralis pauca quædam de Morbis inteſtini recti ex Anatomia dijudicandis *Tibi L.B. ſiſtam, atque hac ratione, quantum ingenii mei imbecillitas permittit, in ſpeciali quodam exemplo deprædicatam iſtam Anatomiæ utilitatem Tibi demonſtrare annitar. Faxit, quem ſupplex nunc humilisque in auxilium voco, Deus T. O. M. ut propoſitum hoc in ſui gloriam proximique ſalutem ex voto cedat feliciter!*

CAP. I.

DESCRIPTIONEM ANATOMICAM INTESTINI RECTI EXHIBET.

§. I.

GEneralem *Inteſtinorum* denominationem à Græco ἐντὸς intus deſumtam eſſe, eo quod in intima corporis ſede communiter inveniantur, cuilibet notum erit, pariter uti varia quæ huic parti tam à Græcis quam à Latinis impoſita fuere Synonyma: A plurimis enim illorum ἔντερα, ab aliis etiam ἐγκοίλια, item ἔγκατα & ἔνδινα, ab AVRELIANO vero χορδαὶ dicuntur, unde Latini ea quoque *Chordarum* titulo notarunt, & fides, quæ præcipue ex contortis & arefactis ovium inteſtinis parantur, inde *Chordas* dixerunt. Alias quoque à Veteribus Romanis & inprimis PLAVTO *in Curg. Act. II. Scen. 3.* Inteſtina *Lactes* vocantur, quod vocabulum PLINIVS tunc demum uſuale eſſe autumat, quando de partibus iſtis tanquam ad humanum corpus ſpectantibus ſermo eſt, in ovibus autem ſolis illas *inteſtina* & reliquis animalibus *Ile* vocari aſſerit; alii illud ad *inteſtina* tantum *gracilio-*

ciliora, & PERSIVS ad *inteſtina pinguia* ſolum reſtrictum volunt. Specialiori autem iſti inteſtinorum tractui, de quo impræſentiarum maxime agendum eſt, melioris diſtinctionis ergo epitheton *rectum* adjecerunt, quoniam illud *recta via* & recto quaſi *ductu*, citra ullam flexuram ad extremitatem tendit & in anum deſinit.

§. II.

Eſt ergo INTESTINVM RECTVM *canalis membranaceus continuatus cum inteſtino colo, à flexura ejus ſigmoidea originem ducens & ad anum usque ſeſe extendens, pro ſcybalis alvinis recipiendis iisdemque tandem è corpore exterminandis, deſtinatus*. Dicitur alias hæc pars Barbaris Longanon, quoniam, licet in reſpectu ad reliqua inteſtina admodum breve & parvum ſit, dum ratione longitudinis tantum pedem unum ſeu palmas fere duas; quoad latitudinem tres fere digitos transverſos ordinarie exæquat: in longum protenditur, oſſi ſacro è directo incumbens.

§. III.

Textura hujus inteſtini eadem prorſus eſt ac reliquorum cum ipſo connexorum inteſtinorum: Conſtat enim ex quatuor tunicis ſibi invicem arctiſſime incumbentibus, *membranacea* nempe ſ. communi, quæ à Meſocolo exoritur & quaſi involucrum hujus inteſtini conſtituit; *carnea* ſeu *muſculoſa*, quæ ex duabus compoſita eſt lamellis, quarum ſuperior fibras longitudinales atque in linea recta verſus anum excurrentes, inferior autem circulares vel potius ſpirales exhibet, atque harum beneficio *motum* ita dictum *periſtalticum* tam in hoc quam reliquis inteſtinis producit, quo mediante illa ad inſtar alicujus lumbrici per indefatigabiles circumvo-

lutio-

lutiones continenter quaſi in gyrum rediguntur, ut ita per ſinuoſa talia volumina lente ab illis deorſum propellatur, quicquid in ſe concludunt. Hanc vero tunicam excipit tertia, *nervoſa* dicta, ob fibras mere nerveas ex quibus tota illa conſtat, quarumque intuitu ſenſu exquiſitiſſimo & levioribus quibusdam rugis gaudet, quibus plurimæ minores glandulæ lentium figuram & magnitudinem referentes, & tenuem quandam mucoſitatem pro fæcibus induratis & ſiccioribus emolliendis ac lubricandis, ſecernentes, ſuper impoſitæ ſunt. Quarta denique & ultima harum tunicarum *villoſa* vocatur, ejusque exiſtentia à BARTHOLINO equidem in dubium vocatur, qui eam tantum pro muco omnibus inteſtinis competente, & à lympha viſcidiori provenienie agnoſcit, ſed contra accuratiorem Anatomicam experientiam, quæ, in ſingulis inteſtinis cum aqua calida diligenter elutritis & ab omni muco liberatis, tamen hanc tunicam à reliquis exacte diſtinctam & nervoſæ tantum, cujus nimiam ſenſibilitatem quodammodo moderatur, arctius adhærentem demonſtravit.

§. IV.

Licet autem fiſtula hæc, ut ex jam dictis apparet, cum reliquis inteſtinis easdem quoad numerum habeat & exhibeat tunicas, differunt tamen hæ quoad texturam, inprimis muſculoſa & nervoſa, quæ craſſioribus ac denſioribus præditæ ſunt fibris, ob fortiorem compreſſionis, propulſionis & expulſionis motum, qui in hoc inteſtino maxime requiritur, cujusque intuitu illud etiam valvulis, quarum variæ in reliquis inteſtinis adſunt, plane deſtituitur, ne fæcum ibidem tranſeuntium

dejectio

dejectio nimium retardetur, eoque ipſo motus ille in functione ſua ordinaria nimium lædatur, ac toti corpori hac ratione gravius quoddam periculum inducatur, eaque propter copioſa pinguedine exterius cingitur, ut in fæcum duriorum excretione dilatari & ampliari poſſit.

§. V.

Habet proinde etiam inteſtinum rectum, ad inſtar reliquorum, vaſa ſua propria, & quidem *nervos* varios, quos partim à trunco nervi intercoſtalis dextri & plexu meſenterico infimo, partim à quarto & quinto nervo oſſis ſacri mutuatur & quidem pro facilitando & adjuvando motu muſculorum fiſtulæ huic annexorum, quibus propterea illi ad unum fere omnes hinc inde implantantur, prout hoc exacte WILLISIVS & inprimis VIEUSSENS *in Nevrograph. Lib. III. cap. 5.* demonſtrarunt; nec non venas & arterias, quas communiter ſub generali nomine *vaſorum hæmorrhoidalium* complectimur. Diſtinguuntur autem hæc ordinarie ab Anatomicis in *externa* & *interna*, quæ diverſam equidem originem, ſed unam eandemque functionem & uſum ibidem ſortiuntur: *Externa* enim vaſa hæmorrhoidalia & ex his præcipue *arteria* à ramo interno iliacæ, *vena*, autem ex hypogaſtrica, quæ etiam ex iliaca derivatur, originem ſumit atque in extremam hujus inteſtini ſuperficiem & ani partes externas deſinit. *Interna* è contra, horumque *arteria* ſpeciatim à meſenterica inferiori, *vena* autem utplurimum ex ramo dextro V. P. qui alias quoque omnibus venis meſeraicis originem præbet, quandoque etiam ex ſiniſtro ejusdem ramo, in ea regione,

gione, ubi ille Hepatis parenchyma ingreditur, provenit, indeque per Meſenterii membranas ſpirali ac incurvato quaſi ductu ad inteſtini recti inferiorem partem tendit, variasque inſuper ramificationes in hoc itinere ad partes circumjacentes de ſe ſpargit, quæ dein ad ſanguinem ſuperfluum ibidem collectum revehendum proxime inſerviunt.

§. VI.

Proinde etiam peculiari utique conſideratione digni ſunt *Muſculi*, quibus canalis hic in extremitate ſua quaſi circumſeptus eſt. In eorum autem deſcriptione Autores quam maxime diſcrepant, ut circa nullum aliud muſculorum genus majora fere diſſidia in Myologicis occurrant, quam circa eos, de quibus jam maxime ſermo mihi eſt, prout hoc ex ſcriptis celeberrimorum Anatomicorum, ſpeciatim RIOLANI *Antropographia, Lib. V. cap. 40.* DOVGLASSII *Myographia pag. 66.* COWPERI *Myotomia nova pag. 13.* SANTORINI *Obſervat. pag. 164. ſqq.* & MORGAGNI *Adverſar. anatom. III. pag. 89. ſqq.* exactiſſime liquet; quilibet enim horum ſedulus ſcrutator facili negotio inveniet, quod illi omnes non ſolum in numero, ſed & quam maxime in origine, progreſſu, diviſione, figura & inſertione deſcribendis tantopere varient, ut vix unquam perfecte conciliari queant, id quod, an proprie ſubjectorum diverſitati, an aliis cauſis adſcribendum ſit, nunc uberius inquirere per temporis & chartæ anguſtiam non licet. Hodierni igitur noſtri Anatomici horum muſculorum ordinarie tres numerant, nempe *duos levatores*, ab interna parte oſſis pubis, iſchii & ilei orientes, fibrasque inſtar radiorum à

B cir-

circumferentia ad centrum exporrectas exhibentes, in parte inteſtini poſteriori coëuntes, collumque veſicæ cum proſtatis & veſiculis ſeminalibus, nec non vagina uteri in fœmellis, includentes, adeoque non tantum pro ſuſtentando levandoque ano, ſed & pro exprimendis veſiculis ſeminalibus & proſtatis, ſub coitu, inſervientes, & unicum *Sphincterem ani*, ex ima parte oſſis coccygis & pubis oborientem, qui fibras à ſe invicem diſcedentes & anum utrinque figura quaſi ovali, ad latitudinem pollicis circiter ambientes, demonſtrat & extremum inteſtini recti ordinarie claudit atque conſtringit, ne excrementa involuntario quaſi excidant & dejiciantur. Et hi ipſi muſculi unacum prædictis vaſis hæmorrhoidalibus ſummam inprimis attentionem anatomicam merentur, quoniam ex iis plurimi hunc canalem affligentes morbi oriuntur ibique præcipue radicantur.

§. VII.

De reliquo ratione *ſitus* & *connexionis* hujus inteſtini brevibus adhuc notandum eſt, quod in infima pelvis cavitate ordinarie contineatur, & à ſummo oſſe ſacro recta deorſum ad extremum oſſis coccygis tendat, hisque firmiter per peritonæum connectatur, ne ita facile prolabatur & foras excidat. Connectitur inſuper in viris cum veſica urinaria hujusque præcipue cervice & vaſculis ſeminalibus, quæ ad vaſorum deferentium latera inter veſicæ urinariæ & inteſtini hujus ligamenta ſita ſunt; in fœminis vero cum utero ejusque ovariis & vagina, & quidem non ſolum beneficio membranarum & ligamentorum partes haſce ambientium, ſed & mediantibus vaſculis ſanguiferis hinc inde inter ſe conſpi-

ran-

rantibus: Uterus enim arteriarum ramos tam ab hypogaſtricis quam hæmorrhoidalibus innumeros recipit, qui dein mire inter ſe communicant, adeo ut ſi flatus in vaſcula hypogaſtrica immittatur, inde vaſa hæmorrhoidalia eleventur, quæ cum ramis hæmorrhoidalium internorum per anaſtomoſin junguntur, notante SALTZMANNO *in Diſſert. de V. P.* Talis obſervatur etiam communio inter venas majuſculas veſicæ ejusque collo implantatas & prædicta hæmorrhoidalia vaſa, quam præcipue inſignis illa harmonia inter mictum cruentum & hæmorrhoidalem fluxum optime confirmat, cujus intuitu etiam *Collectores Hiſtoriæ morborum qui Ao. 1701. Uratislaviæ graſſati ſunt pag. 285.* minime paradoxum eſſe cenſent, quod ex vena hæmorrhoidali externa ramulus aliquis in collum veſicæ excurrat & eidem immergatur. Exinde ergo patet quantus ſit hujus inteſtini cum dictis partibus, tam in virili quam ſequiori ſexu conſenſus, & quam eximius nunc ex ejus cognitione tam in pathologicis, quam therapevticis expectandus ſit uſus.

CAP. II.

MORBORVM INTESTINI RECTI HISTORIAM ET ÆTIOLOGIAM SISTIT.

§. I.

SUppoſitis nunc iis, quæ fundamenti loco ex Anatomia quoad texturam & naturalem conſtitutionem Inteſtini recti prælibanda erant, ulterius ad enumerationem & pathologicam conſiderationem morborum ex eodem provenientium progrediendum erit,

in cujus vero limine ſtatim præmonendum duxi, me omnes illos affectus, qui per conſenſum quidem ex hoc inteſtino originem capiunt, ſed in aliis regionibus & partibus ſeſe exerunt, aut jamjam in iisdem præſentes ſolummodo per accidens, ex adſtrictione alvi vel quacunque alia inteſtini recti læſione exacerbantur, intactos relicturum, atque de iis tantum ſpecialiſſime acturum qui ſedem fomitemque ſuum habent in hoc canali, & exinde in alias connexas partes quoque diffunduntur ne labor hic conſuetos ſuos limites transgrediatur & in nimis immenſam molem excreſcat.

§. II.

Primus autem ex his, quem ob inſignem ſuam qua in ſucceſſu ordinario ſemper pollet, utilitatem, reliquis merito anteponimus, eſt FLVXVS HÆMORRHOIDALIS *legitimus & ordinatus*, qui plerumque, antequam ita perfecte erumpit, varios ſpaſticos, congeſtorios, oppletorios, tenſorios aliosque moleſtos ſenſus circa hypochondria, nec non ſymptomata ad unum fere omnia paſſioni hypochondriacæ familiaria, producit ſuccedente dein continuo dolore tenſivo & ſpaſtico circa os ſacrum & lumbos, quem denique teneſmus admodum frequens, & ſenſus obhæreſcentis quaſi alicujus rei durioris in ano, poſt dejectiones alvinas præcipue occurrens, aut dolor punctorius ad inſtar pali infixi in oſſe ſacro, excipit, ſub quo tandem excretio iſta ſponte perrumpit, & quidem ita, ut modo ſanguinis ſinceri moderata quantitas cum ſcybalis alvi durioribus, vel potius poſt illa, durantibus adhuc vacuis illis teneſmodeis & quaſi ulteriorem adhuc excretionem efflagitantibus

tibus conatibus, exprimatur; modo etiam in limbo ani veſiculæ aliquot molles, ſanguine purpureo nigricante turgidæ effloreſcant, hunc dein ubi poſt prægreſſam ſcalpturam aut qualemcunque alium vehementiorem niſum ruptæ fuerunt, effundant, dehinc in papulas abeant, quæ, poſtquam adhuc per aliquod tempus ſanguinem ſub fortiori preſſione protruſerunt, tandem perfecte iterum coaleſcunt atque in totum diſparent.

§. III.

Evenit autem talis excretio, licet omnia in genere *ſubjecta* ad eam diſpoſita ſint, præcipue iis, quæ temperamenti Sanguineo Cholerici & Melancholici, habitus eminenter plethorici, ætatis conſiſtentis virilis aut ſenilis, ſexus itidem maxime potioris ſunt, inſuperque animi commotionibus iracundis, frequentioribus infimi ventris, maxime pedum, refrigerationibus, fortioribus ſub tempeſtate æſtuoſa inſtitutis equitationibus, diætæ lautiori vinoſæ, aromaticæ, acriori, ut & abuſui medicamentorum aloeticorum ac calefacientium, hæmorrhagiis narium ſatis largis expoſita, aut V. Snibus & Scarificationibus aſſueta fuerunt; hinc optime eluceſcit, quod ſpontanea & activa iſta ſanguinis ventilatio maximam partem à principio corporis noſtri immateriali dependeat, dum hoc ſanguinem actu abundantem & ad pernicioſam orgaſticam ebullitionem inclinantem tempeſtive imminuere intendit, eamque ob cauſam ſuperfluam quandam ejusdem portionem, mediantibus motibus conſtrictoriis & compreſſoriis, *cauſarum inſtrumentalium* vices agentibus, circa loca hæmorrhoidalia colligit, ut tandem

 poſt

poſt varia tentamina & molimina vel actu ex ipſis vaſculis ſanguiferis in inteſtini recti canalem hiantibus, exprimi, vel intra veſiculas quasdam propelli & poſt earundem rupturam, ob profundiorum venularum inſertionem, ſucceſſive exinde exſtillare queat. Quapropter, cum hic fluxus tantam cum innumeris fere admodumque pertinacibus affectibus connexionem habeat, ut quamdiu legitime ſuccedit, eos vel præſervet, vel plane ſolvat, ſi ipſis jamjam præſentibus ſuperveniat, optimo ſane jure, in hoc ſenſu, eum à Germanis die gůldene Ader vocatum eſſe autumo, præcipue cum raro tanta copia aut violentia erumpat, ut præſentaneum quoddam vitæ periculum inde pertimeſcendum ſit, licet de reliquo ordinarie ſatis notabilem, imo ſæpe majorem ſanguinis quantitatem excernat, quam quidem per artificiales ejusdem ventilationes emittitur, quoniam id quod Natura ſponte amittit ipſam minus afficit, quam quod ipſi coacte quaſi & citra voluntatem rapitur.

§. IV.

Cum vero nihil adeo bonum exiſtit, quod non ſucceſſu temporis, accedentibus aliis circumſtantiis deterius fieri queat, nemo mirabitur, ſi & ipſe modo deprædicatus fluxus hæmorrhoidalis legitimus interdum ab ordinaria ſua norma deflectat, atque modo in EXCESSU, modo in DEFECTU peccando graviſſima incommoda corpori inducat. Si enim NIMIVS redditur hic flnxus & vel ſolito frequentius, v. g. ſingulo octiduo, recurrit, vel juſto diutius ad 2. 3. imo plures ſeptimanas durat, vel etiam ſingulis fere dejectionibus tantum ſangui-

ſanguinis eliminatur, quantum alias larga V. Sne vix educitur, tunc ſane loco ſperatæ utilitatis graviſſima maximeque ſontica corpori inducit pericula, ita, ut vires inſigniter alterentur & vix non proſternantur, dolor preſſorius & gravativus continuus fere circa coxas oboriatur, tandemque Cachexia & alia cum eadem connexa plura admodum pernicioſa accidentia inducantur, & quidem ob *abuſum* & *exceſſum* circa prius allegatas *cauſas* commiſſum, quippe quæ tunc eadem ratione, qua in ſimplicitate ſua ordinarium fluxum producunt, ubi excitatæ & nimium quantum provocatæ fuerunt, illum quoque exceſſivum reddere poſſunt.

§. V.

Quodſi vero fluxus hæmorrhoidalis & quidem *internus* antea ordinatus DEFICIAT & vel ſenſim ac ſucceſſive, vel ſimultanee SVPPRIMATVR & evaneſcat, tunc ab initio quidem leviora, ſucceſſu temporis autem admodum gravia maximeque ſontica ſubſequuntur pathemata, præprimis hypochondriaca, ſplenetica, colica, ad infarctus, ſtagnationes, inflammationes, obſtructiones viſcerum cum V.P. connexorum maxime contribuentia, atque omnis generis morbos chronicos, maxime cachecticos, hydropicos, &c. tandem inducentia; ſi è contra *externæ hæmorrhoides* in ordinario atque legitimo ſuo ſucceſſu turbentur atque deficiant, tunc utplurimum preſſo pede ſuccedunt aſthmaticæ pectoris oppletiones & inſignes reſpirationis alterationes, unacum toto mali hypochondriaci apparatu, nec non affectibus arthriticis, iſchiaticis, podagricis, nephriticis, in ariduras & contracturas denique deſinentibus. *Cauſæ*

autem

autem DEFECTVM & SVPPRESSIONEM talem inducentes, modo *morales*, nempe animi graviora pathemata, maxime terrifica & iracunda, nec non anxiæ & ſpeculabundæ meditationes, modo *phyſicæ* ſunt, ad quas præcipue ſanguinis abundantis nimia ſpiſſitudo & extraordinaria orgaſtica commotio, mala artificia & abuſus Medicamentorum adſtringentium, incraſſantium, emeticorum, nec non potuum refrigerantium, ſpirituoſorum acriorum, alvi frequentiores obſtructiones, aliaque plura referri poſſunt quæ tandem etiam indirecte omnia hactenus recenſita admodum periculoſa conſectaria producunt.

§. VI.

Præterea contingit etiam interdum, ut poſt diu perpeſſa moleſtiſſima illa ſymptomata, quæ difficulter erumpentes hæmorrhoides alias comitari ſolent, tandem equidem excretio quædam non vero ſanguinea ſed *mucoſa* ſuccedat, dum inter graviores tenſorios, ſtrictorios, ſcindentes & teneſmodeos dolores, quos ſimul borborygmi & flatulentiæ inſignes comitantur, materia quædam albuginea tragacanthum ſolutum referens, paululum flaveſcens, quaſi gelatinoſa, ſtriis ſanguineis interdum maculata, cum aliquali ſibilo exprimitur, ſubſequente dein, ob inſolitam ani humectationem & ſeri acrioris affluxum, inſigni pruritu & excoriatione in extremitate inteſtini recti, quæ tamen, niſi per incongrua artificia deterior reddatur, brevi poſt iterum evaneſcit. Galli hunc affectum vocant HÆMORRHOIDES ALBAS, quas vero noſtrates DECOLORATAS, MVCIDAS, dicunt, & humoribus ſpiſſioribus mucidis in M. S. abun-

datibus

dantibus ipſique Naturæ coactæ periculo ab his ipſis intentato adſcribunt, quippe quæ, accedente inſimul extraordinaria quadam ſtrictura viarum ac vaſorum, motus congeſtorio - ſpaſticos inſtituendo, loco ſanguinis ſinceri materiam lymphatico - ſeroſo-ichoroſam exprimit, idque ſtatis perſæpe periodis repetit in ſubjectis ſcorbuticis & cachecticis, perinde ac ſi verus & ſincerus ſanguis exonerandus eſſet, id quod exinde maxime confirmatur, quoniam plerunque, facta hac excretione, præcedentes immoderatiores motus ſpaſtici placantur & omnia antehac perpeſſa ſymptomata in totum tolluntur, ut propterea non immerito hanc excretionem vicariam eſſe ipſius fluxus hæmorrhoidalis legitimi ſuſpicari liceat, præprimis cum & hoc accedat, quod ſi *Hæmorrhoides* iſtæ *decoloratæ* per mala artificia repente ſupprimantur, eadem gravia pathemata & morbida conſectaria inde eveniant, quæ turbatas atque ſuppreſſas ordinarias hæmorrhoides communiter excipere ſolent.

§. VII.

His porro adjungendæ ſunt HÆMORRHOIDES CÆCÆ, & qui has conſequuntur varii alii externi ani affectus ex mala inprimis tractatione & ſiniſtro ſucceſſu earundem provenientes. Priores oriuntur communiter vel ex anomaliis *Hæmorrhoidum internarum*, vel ab impeditis & admodum difficulter erumpentibus *externis*, quarum conſueti motus plerunque dein à Natura hujus difficultatis pertæſa, quaſi invertuntur & ad excitandas *cæcas* haſce hæmorrhoides applicantur, ut hac ratione aliquam ſaltem excretionem, ſub graviſſimis licet moleſtiis per hæc loca obtinere queat. Diſpeſcuntur autem hæ ordinarie in *tumentes* & *turgentes*: priores paulo profundius ſemper intra inteſti-

ni recti canalem deliteſcunt, atque præcipue tumorem durum inflammatorium minoris cujusdam fabæ magnitudinem referentem exhibent, cujus intuitu illæ nihil aliud ſunt quam verus furunculus, qui ob nimiam ſenſibilitatem tunicæ nerveæ & muſculoſæ hujus inteſtini dolores acutisſimos ſtrictorios, tenſorios, lancinantes ardentes & gangrænodeos infert, ut patientes nec decumbere, nec ſedere, nec libere incedere queant, ſed ſub quolibet ſtatu, inprimis autem alvi exoneratione, quæ tamen ſemper magis clauſa eſt, exquiſitiſſimos cruciatus experiantur, propter quos ipſa dein hæc hæmorrhoidum ſpecies à quibusdam *dolentium* aut *furentium* titulum obtinet, ab aliis autem *κατ' ἐξοχὴν* ſub *cæcarum*, *clauſarum* vel *occluſarum* nominibus comprehenditur.

§. VIII.

Poſteriores è contra, ſive *turgentes hæmorrhoides* conſtituunt ordinarie veſiculam quandam mollem, transparentem, atrorubente ſanguine turgidam, quæ circa extremum ambitum orificii ani ordinarie exſurgit, nullumque adeo notabilem dolorem aut inſigniorem quendam moleſtum ſenſum inducit, niſi quod ſub qualibet alvi depoſitione ſenſum quodammodo preſſorium, qui deliteſcentem quaſi fabam aut nucleum intra inteſtini cavitatem referat, & ardorem leviorem tranſitorium excitet, quapropter etiam his titulus *indolentium*, quo communiter in Pathologia donantur, de jure competit. Veſicula autem iſta intra paucos communiter dies vel ſponte disrumpitur, vel, ob concurrentem moleſtum pruritum, ſcalpendo, aut, ſi hoc quoque non ſuccedat, chirurgica ſectione & inciſione aperitur, & tunc, non ſolum ſanguinem ibidem collectum effundit, ſed etiam ultro ſub excretionibus alvinis, mediante tenesmodea preſſione & conſtrictione ani, aliquam ſemper ejusdem quantitatem ſuppeditare continuat, donec tandem in loco aperturæ iterum coaleſcat exitumque ulteriorem reliquo ſanguini præcludat.

§. IX.

§. IX.

Inter externos autem ani affectus cum hæmorrhoidibus, præprimis *externis* & cæcis conſpirantes, indeque utplurimum oborientes, frequentiſſimus utique eſt PRURITUS ſive SERPIGO HÆMORRHOIDALIS, ubi vigentibus & continuantibus adhuc moliminibus ordinariis hæmorrhoidalibus, in ipſa ani circumferentia effloreſcunt innumeræ minutiſſimæ puſtulæ, limpido, mucilaginoſo & flaveſcente humore repletæ, quæ pruritu moleſtiſſimo frictionem urgent, eaque adhibita, majorem ardorem inferunt, ruptæ vero leviſſimam iſtius humoris quantitatem effundunt, cui *Sudoris hæmorrhoidalis* titulum communiter impertiunt Pathologi, & tunc ulcuſcula ſuperficialia conſtituunt, quæ hinc inde ſerpunt, tandemque poſt plures ſeptimanas exſiccantur, & ſquamulas ſucceſſive decidentes relinquunt, niſi forſitan per incongrua artificia præmature retropulſa, aut plane neglecta fuerint, ubi ordinarie brevi poſt vel in vicinia iterum erumpunt, vel affectus arthritico-ſpaſticos & decubitus acres inducunt.

§. X.

Huic affectui ſuccedunt dein EXCRESCENTIÆ HÆMORRHOIDALES, ſeu fungoſæ & ulceraſcentes illæ protuberantiæ, quæ ab hæmorrhoidibus *turgentibus* inprimis, ſi illæ pertinaciter continuaverint atque tandem in verrucoſam conſiſtentiam degeneraverint, plerumque proveniunt, indeque etiam alias HÆMORRHOIDES NOTHÆ ſeu SPURIÆ dictæ fuerunt. Variant autem illæ tam quoad magnitudinem, cujus intuitu interdum ad nucis avellanæ, quandoque ad juglandis, imo in nonnullis ſubjectis etiam ad minoris ovi molem accedunt; quam quoad figuram, ſub varia protuberantia diverſimode variantem, cujus ratione diverſa etiam poſtmodum nomina ſortiuntur, ut modo *morales*, ſi fructus mori figuram referunt; modo *uvales*, ſi acinorum uvis ſupereminentium ſimilitudinem repræſentant; modo *verrucoſæ*, ſi tubercula iſta exſiccantur & in duriores rugoſas protuberantias tranſeunt; modo etiam *ve-*

ficales, ſi venulæ ambitum extremi orificii ani cingentes à ſanguine ibidem ſtagnante inflatæ & nimium quantum dilatatæ apparent, dicuntur; quemadmodum etiam alias, ob eas forſitan circumſtantias, ſi præprimis excreſcentiæ tales non tam hæmorrhoidalem, quam potius *veneream* cauſam agnoverint atque à contagio tali productæ fuerint, (id quod facile ex eſchara ſicciori ipſis incumbente, prioribus non adeo familiari, apparet,) variis adhuc peculiaribus ſynonymis inſigniuntur, atque communiter, *Condylomata, Mariſci, Rhagades, Formicæ, Verrucæ, Clavi ani, Sycoſis*, Thymus, &c. appellantur, quæ omnia vero Germani ſub vocabulis uſitatis Feigwartzen, Zacken, Maſtkörner, comprehendunt.

§. XI.

Licet autem, ut ex hactenus dictis optime liquet, inter hæmorrhoides cæcas & excreſcentias hæmorrhoidales atque venereas in ano occurrentes, ſatis aperta intercedat differentia quoad externas circumſtantias, tamen ſingula hæc accidentia parum vel nihil inter ſe diſcrepant quoad *cauſas* internas generales, quippe quæ ejusdem fere in iisdem indolis & qualitatis ſunt. Sanguis enim abundans ac muco ſpiſſiori & viſcido nimium in craſi ſua alteratus, ſi verſus loca hæmorrhoidalia ob prægreſſam immodicam illorum attritionem, ab equitatione, pruritu, &c. excitatam, copioſius reſtringatur, facile ibidem ſtagnat tam circa interna, quam externa vaſa hæmorrhoidalia, eaque nimium quantum diſtendit, atque interdum etiam in perfectam inflammationem ruit, ut ita modo *tumentes*, modo *turgentes hæmorrhoides* fiant, modo etiam, ob collectionem ejusdem in partibus carnoſis circa exitum ani atque huic ſuccedentem fermentationem ulceroſam, ibidem varii generis & figuræ *excreſcentiæ* producantur, & quidem ea fere ratione, qua alias in ulceribus ac vulneribus ſinuoſis, ob defectum ſufficientis abſterſionis & ulteriorem materiæ purulentæ corruptionem, carnes luxuriantes ſæpius generantur. Hinc facile liquet, quod nulli horum accidentium deprædicata iſta aurea qualitas hæmorrhoidum legitime fluentium competat,

petat, quoniam, licet majores adhuc & graviores eadem comitentur moleſtiæ, vix tamen unquam hac ratione aliqualis plethoræ imminutio, ob vias minus commodas & vaſa admodum exilia, ſperanda eſt, quin potius, teſte experientia, tumentes hæmorrhoides, niſi mature reſolvantur & diſcutiantur, facile ad ſuppurationem inclinant, tandemque in ulcerationem fiſtuloſam, difficillime emendabilem, tranſeunt, quæ Hecticam introducendo ægris dein plerunque lethalis evadit; turgentes autem rarius tantum, poſt prægreſſam veſiculæ ſpontaneam vel artificialem apertionem, & ſuccedentem copioſorem humorum verſus hæc loca affluxum, internis hæmorrhoidibus legitime fluentibus, anſam præbent, frequentius autem exulcerantur, aut per plures menſes vel annos ſub qualibet fortiori fæcum alvinarum expreſſione, ſanguinem ſenſim effundunt, ſique ſemel in perfectam conſuetudinem degenerarunt, nunquam iterum in totum, niſi cum inſigni ægrotantium moleſtia & periculo, ſupprimi poſſunt; id quod pariter etiam de ſerpigine hæmorrhoidali & excreſcentiis ſupra deſcriptis valet, quæ, ſi præmature atque incongrue reprimantur, plerunque ſucceſſu temporis pathemata hypochandriaca, nephritica, arthritica, iliaca & podagrica poſt ſe trahehere obſervantur.

§. XII.

Modo recenſitis hiſce affectibus hæmorrhoidalibus nunc ad latus quaſi ponimus FISTVLAM ANI, affectum inteſtini recti admodum rebellem & curatu perquam difficilem, ex prioribus tamen illis utplurimum originem ſuam capientem. Eſt autem ea ordinarie vel *externa* quæ ſphincterem ani & adjacentes muſculos glutæos potiſſimum occupat, aperturamque extrorſum ſpectantem exhibet, eamque ob cauſam *patens* dicitur; vel *interna*, quæ paulo profundius texturam inteſtini recti penetrare ac perforare parteſque adjacentes muſculoſas depaſcere & clanculum conſumere ſolet, & hæc aperturam ſuam modo introrſum ſolum, & quidem vel ſurſum, vel deorſum reſpicientem, mo-

do extrorſum & introrſum ſimul habet, indeque in priori caſu *latens* ſeu *cæca*, in poſteriori autem *completa Fiſtula* appellatur. Ex his prior & ultima ſpecies *patens* nempe & *completa*, ob præſentem externam aperturam facillime cognoſcuntur nullisque indigent ſignis diagnoſticis; media autem ſive *cæca* tanto difficilius inveſtigari poteſt, niſi ad varias circa ipſam tunc occurrentes circumſtantias ſimul probe attendatur. In genere enim in ea pariter ac in reliquis excretio materiæ ichoroſo-ſanioſæ per anum primo ſtatim occurrit, ita tamen, ut, ſi orificium ejus deorſum reſpicit, illa fæcum eliminationem quodammodo præcedat, ſi vero ſurſum tendit, hanc demum ſubſequatur; ſi unus alterve ejus ſinus in veſicam penetrat, urina partim per anum, partim per viam ordinariam, ſed materia ſanioſa & purulenta permixta, reddatur; ſi denique in fœmellis uterum ſimul perforavit, fæces alvinæ cum corrupta iſta materia per genitalia protrudantur. Principalem autem peſſimi hujus affectus *cauſam* conſtituit utique negotium hæmorrhoidale in ſucceſſu ſuo debito nimium quantum turbatum & alteratum, inprimis hæmorrhoides cæcæ in corruptionem ſuppuratoriam deductæ, nec non legitime fluentes repente ſuppreſſæ, item ſerpigo hæmorrhoidalis & omnis generis excreſcentiæ fungoſæ in ano imperite tractatæ, quin ipſæ etiam dyſenteriæ præmature cohibitæ, non excluſis etiam cauſis quibuscunque externis violentis, læſiones paulo profundiores extremitati hujus canalis inferentibus, quarum mundificatio dein ob continuum humorum impurorum affluxum, admodum difficulter obtinetur, indeque poſtmodum ulcerationes tales clandeſtinæ producuntur, hinc deterioris ſemper indolis ſunt fiſtulæ tales profundius penetrantes, veſicam, uterum & partes adjacentes ſimul lædentes, plures ſinus & mæandros formantes, & cum moliminibus hæmorrhoidalibus aut affectibus venereis adhuc conſpirantes, quoniam illæ omnes difficillime repurgationi debitæ & raro medicationi perfectæ auſcultant.

§. XIII.

§. XIII.

Affligit proinde etiam inteſtinum rectum, ſub variis aliis morbis complicatis, ſæpiſſime affectus ob moleſtiam magis quam periculum notabilis *Teneſmus* nempe, qui in continuo, ſed utplurimum vacuo, deſidendi conatu, modo levem, modo etiam graviorem tumorem circa anum excitante conſiſtit, atque cum titillatioue, pruritu moleſto & ſerpiginoſo, nec non dolore ardente circa exitum ani conjunctus eſt, nullam plerunque, aut ſaltem parciſſimam pulpoſo-mucoſam excretionem infert, tanto certius autem, ſi diutius continuaverit, inteſtini recti procidentiam poſt ſe trahit. Occurrit autem ille præcipue in ſubjectis hæmorrhoidariis, in quibus fluxus hic difficulter perrumpit, molimina autem ad eundem promovendum ſtrenue continuant, nec non in iis, qui vermibus maximè aſcaridibus laborant, in calculoſis ob connexionem hujus canalis cum veſica & in gravidis, ſi uterus inteſtino recto juſto fortius incumbat, ac denique in dyſentericis, qui materiam valde acrem, bilioſam aut quaſi corroſivam, inteſtinum hoc nimium irritantem frequenter per alvum rejiciunt; hinc omnis teneſinus eſt mere ſymptomaticus & non aliter diſtingui poteſt, quam ſecundum diverſas haſce cauſas & morbos primarios cum quibus ordinarie complicatur, quorumque intuitu dein etiam ipſius periculum variat, ita ut hæmorrhoidalis & aliorum quorundam morborum teneſmus levioris momenti ſit, atque raro affectibus iſtis quicquam portendat, is vero, qui gravidas affligit, dyſentericos excruciat, cuique ſingultus ſupervenit, tanto magis ſonticus evadat, quoniam prioribus juxta HIPPOCRATIS effatum *Sect. VII. Aphor. 27.* facile abortum, in dyſenteria procidentiam ani cum inflammationis metu, & ſub poſteriori ſtatu plerunque affectus convulſivos excitat.

§. XIV.

Morbum autem hunc non ſolum excipit, ſed ſæpius præſentem adhuc comitatur alius paulo altioris conſiderationis, PROCIDENTIA nempe ANI, quæ iiſdem communiter ſubjectis in quibus Teneſmus alias occurrit, ſolennis

nis eſſe ſolet, inſuperque admodum frequenter infantibus tenerioribus, ob acres & bilioſas diarrhæas, ac nimios & inconditos clamores, adultioribus autem modo ob alvi ſiccitatem & difficiliorem excrementorum induratorum expreſſionem, modo ob perpeſſas diuturniores diarrhæas & dyſenterias, modo etiam ob paralyſin ſphincteris ani aliquamdiu jam jam præſentem, accidit, ubi tertia inteſtini recti tunica, nervea nimirum ac glanduloſa, vel per continuam humectationem & arroſionem, relaxatur & dilatatur, ut tandem unacum laxiori villoſa membrana foras delabatur & ita procidentiam talem producat; totum enim inteſtinum rectum cum membranacea & muſculoſa tunica non prolabitur, quia firmis admodum ſatisque tenacibus ligamentis ſpinæ dorſi undiquaque arctiſſimè annexum eſt, ut extra ſtatum perfecte paralyticum, nulla in his relaxatio locum habere queat. Interim omnis procidentia conſtituit affectum revera moleſtiſſimum, inprimis ſi pertinax illa ſit, nec ita ſtatim repoſitionem admittat, aut ſi prægreſſam muſculorum ani paralyſin pro cauſa habeat, tunc enim portio prolapſa facile intumeſcit, refrigeratur, inflammatur, tandemque in Gangrænam & Sphacelum prolabitur, atque ita mors plerunque nimis præmatura in ejusmodi ſubjectis acceleratur.

§. XV.

VERMES, & inprimis *teretes breves*, quos ASCARIDES vocamus, jure meritoque etiam affectibus hujus inteſtini annumerandos eſſe per ſe liquet, quoniam minora iſta animacula, vermiculos caſeorum figura & magnitudine exacte referentia, & probabiliter ex fermentativa excrementorum per craſſa inteſtina tranſeuntium corruptione prognata, ordinarie in iſto canali hoſpitantur, ibidemque admodum ſenſibilem moleſtiam, titillationem, pruritum atque teneſmum, modo periodice & menſtruatim ut in fœmella illa cujus Celeb. LEDELIUS in *M. N. C. Dec. III. Ao. V. & VI. Obſ. 218.* mentionem facit, modo etiam inordinate & vagabunde recurrentem excitant, nullas vero alias

mo-

moleſtias creant, niſi quod concurrentia forſitan pathemata hypochondriaca & hæmorrhoidalia quodammodo pertinaciora reddant aſſiduaque vexent deſidendi cupiditate.

§. XVI.

Proinde etiam huc referenda eſt ADSTRICTIO ALVI, in ſubjectis vitæ generi otioſo, ſedentario aſſuetis, nec non affectibus hæmorrhoidalibus, nephriticis, podagricis aliisque ſpaſticis & congeſtoriis obnoxiis, admodum frequenter occurrens, ab *Obſtructione alvi* in tantum differens, quod hæc ſegnitie quadam Naturæ & imbecillitate motus periſtaltici indeque dependente ſcybalorum induratione in reliquis inteſtinis indiſcretim, & quidem *paſſive* tantum; hæc vero *active* à ſtrictura quadam ſpaſtica ſoli inteſtino recto, ſub recenſitis iſtis morbis inducta dependeat, variaque ſatis gravia ſymptomata, inprimis tormina colica, flatulentias moleſtas, dolores capitis, preſſiones circa ventriculum, anxietates & oppletiones præcordiorum, frequentes phlogoſes, aliaque plura incommoda plerumque poſt ſe trahat.

§. XVII.

Tandem claſſem & numerum horum affectuum claudit ANI CLAVSVRA ſive CONCRETIO in infantibus recens natis ſæpius obvia, & ſub ipſo actu generationis producta. Hujus, ut ex practicorum traditione & quotidiana experientia facile comprobari poteſt, tres potiſſimum ſpecies dantur, nempe *anguſtia* ſive *conniventia inteſtini recti*, à SCVLTETO *in Armament. Chir. Obſ.* 77. deſcripta; *clauſura*, per membranam modo tenuem, modo denſiorem & fere cartilagineam facta, & denique *coalitus*, ubi foramen podicis omnino occluditur & quidem vel à carne in canali hujus inteſtini interius accreto, ut RONSEVS *Epiſt. XIV. pag.* 45. refert; vel à cute denſiore circa anum expanſa omnem pariter excretionem fæcum præpediente, quales infantes dein proprie *Atretos* ſive imperforatos vocamus. Et in tali ſtatu videtur utique vitium fuiſſe commiſſum tam in conformatione *inteſtini recti*, ſi illud non podici ſed fun-

do veſicæ implantatum eſt, juxta obſervationem HILDANI *Cent. I. Obſ. 75.* aliorumque, quam in conformatione *Ani*, ubi tantum ſphincter inteſtini recti de cœtero bene conformati connaſcitur, cujus innumeræ apud Practicos proſtant obſervationes; & tunc ſæpius cum fæcibus inſimul quoque ⊡æ execretio ſiſtitur, aut ad minimum ſcybala per veſciam ſimul excernuntur, id quod præ priori ſtatu minus periculoſum eſt, quoniam miſeri ejusmodi infantes tunc diutius adhuc in vita perſiſtere poſſunt, inprimis puellæ, quibus non tam ſubito aut frequenter funeſta eſt talis ani occluſio, cum è contra puerulis, teſte RIOLANO *cap. 33. Lib. II. Enchirid. Anat. pag. 220.* hoc vitium ſemper fere lethale ſit.

CAP. III.

THERAPIAM MORBORVM INTESTINI RECTI MONSTRAT.

§. I.

PRæmiſſis ita & enarratis non ſolum in genere omnibus illis, qui in inteſtino recto occurrunt, affectibus, ſed & eorundem ſignis atque cauſis, nunc ea, qua fieri poterit brevitate pari etiam induſtria ipſorum *Therapiam* ſubjungemus, quam, his velut fundamenti loco ſuppoſitis, tanto faciliorem & feciliorem, cæteris paribus, futuram certo confidimus, quoniam, ut verbis HIPPOCRATIS *in Lib. de Arte* utar, *qui ad cognoſcendum ſufficit Medicus, ad ſanandum etiam ſufficit*, illique nonniſi graviſſimos in cura morborum committunt errores, qui legitima ac ſufficienti tali cognitione prorſus deſtituuntur, quaque ratione eam ſibi acquirere debeant, plane ignorant.

§. II.

HÆMORRHOIDES ergo ordinate & legitime FLVENTES, cum in ſubjectis aptis atque diſpoſitis, in comparatione ad incommoda ex difficili ipſarum perruptione metuenda,

tuenda ſint eximium Naturæ beneficium atque prægreſſorum fere omnium chronicorum affectuum ſcenam felici exitu claudant, ſane *poſitiva* nunquam indigent medicatione, ſed *privativa* ſaltem, per quam obſtacula & impedimenta legitimum earundem ſucceſſum retardantia atque turbantia, debite removentur, ne forſitan alia ſontica nimiumve periculoſa accidentia exinde emergant. Pro hoc autem ſcopo obtinendo ſubjectis iſtis 1.) ſuadenda eſt *congrua diæta*, ut cane & angue pejus fugiant omnia acida, flatulenta, pinguia, nimium ſalita, fumo indurata, nec non lacticina, ſacharata aliaque dulcia, potulenta ſpirituoſa, fermenteſcentia craſſa acida, nimiumque vinoſa, utpote quæ negotium concoctionis inſigniter turbant, primis viis eximias creant moleſtias atque ad inducendas alvi obſtructiones pertinaciſſimas, quæ dein hujus etiam fluxus ſuppresſionem poſt ſe trahunt, occaſionem ſuppeditant. Proinde evitanda etiam ab iis ſunt animi pathemata, iracunda inprimis ac terrifica, ut & triſtia ac ſpeculabunda, fugiendi exceſſus omnes in frigore & calore, nec non otioſa ac nimis ſedentaria vita, ne ſanguis in craſi & circulo ſuo nimium alteretur, eoque ipſo vel repentina vel ſucceſſiva iſtius fluxus ſuppreſſio excitetur. Præterea etiam 2.) commendanda eſt *promotio & conſervatio excretionum naturalium*, ſpeciatim *alvinæ* per ⊖ia digeſtiva, ♀iſata & amara, pilulas abſtergentes & leniter laxantes, Infuſa vel Decocta lubricantia & aperientia, potumque & motum ſufficientem; *diapnovicæ* autem per diluentia, reſolventia temperata, infuſa theeformia & ♄lium fixiorum uſum, ut ita ſanguis æqualiter diſtribuatur, & congeſtiones, reſtrictiones aut ſtagnationes particulares ejusdem in locis incongruis præcaveantur.

§. III.

HÆMORRHOIDES autem IMMINENTES pariter ac DEFICIENTES atque SVPPRESSÆ, ſi ſubjectorum temperamenta & habitus corporis ita conſtituta ſint, ut felicem fluxus hujus ſucceſſum ſperare liceat, optime promoveri ac reſtitui poſſunt, 1.) per remedia generaliora ſanguinem

in quantitate ac qualitate depravatum corrigentia, ubi *quantitas* ejusdem ſuperflua ſtatim ventilanda eſt per ſufficientem ac laborioſam corporis commotionem, diætam parcam & dilutam, ſubjunctamque V. Snem in pede, quæ, licet poſitive parum vel nihil ad mitiganda eximia illa ſpaſtica pathemata ſub hoc ſtatu concurrentia faciat, ſubjungendorum tamen medicamentorum operationem quodammodo facilitat, ut propterea iisdem merito præmitti debeat; *qualitas* autem ſanguinis depravata, ſi præprimis *ſpiſſior* ille fuerit, alterari poteſt per Infuſa reſolventia, attenuantia, Decocta diluentia, Θia digeſtiva & ♀iſata, diætamque lubricantem & humectantem; ſi vero nimium *ſeroſus* fluidusque fuerit hic humor, conveniunt moderata diuretica, diapnoica, abſorbentia & interpoſita leniora laxantia, maxime phlegmagoga. Dein ipſa hæc excretio invitanda eſt 2.) per remedia ſpecialiora ſanguinem ad loca hæmorrhoidalia blande derivantia, ut ſunt laxantia omnia per epicraſin, item Aloetic-Myrrhata, Crocata, Helleborata temperatiora, Pilulæ inprimis balſamicæ Sthalianæ, Becherianæ, Hoffmannianæ, nec non Elix. Propr. ſ. a. Borrax, Clyſteres moderate ſtimulantes Suppoſitoria quodammodo acria, frictiones calidæ & fomentationes ani, ac denique Hirudinum applicationes, quibus plerunque ſi non ſtatim, ſucceſſu tamen temporis, optime procurari iterum poteſt ſalutaris iſta excretio.

§. IV.

EXCESSIVUS è contra & NIMIUS hæmorrhoidum FLUXUS, ſi occurat, requirit *a*) *Orgasmum ſanguinis temperantia*, velut ⦶ſa. acidulata, præcipitantia, ℨina & ſubtiliora abſorbentia in pulveribus maxime proficua; *b*) *leniora tonica*, MRam nempe tonico-nervinam Stahl. TRam ⦶li ♂tis Ludov. TRam ♂tis cydon. Eſſ. Millefol. Flor. Hyper. Torment. aliquoties de die parcioribus doſibus exhibenda; *c*) *anodyna temperata*, urgente non niſi neceſſitate, cum pulveribus ſupradictis temperantibus ſocianda, quo nomine inprimis Cort. Caſcar. & MPde Cynogl. ad pauca tantum

tum grana ordinanda conveniunt, conjunctis tandem Decoctis ſaturatioribus ex Herbis Millefol. Adianth. alb. Flor. Roſ. rubr. & Balauſt. parandis, ſubordinatis, ſi penitus ceſſaverit fluxus iſte, Clyſteribus carminativis & lubricantibus, leniſſimis laxantibus, maxime Rhabarbarinis & V. Snibus circa tempora æquinoctialia in pede celebrandis.

§. V.

Quod DECOLORATAS attinet HÆMORRHOIDES, in iis eo præcipue reſpiciendum eſt, ut α) *ſerum mucidum* ſanguini intermixtum convenienter *removeatur* ipſaque ſanguinis maſſa ab eo liberetur, & quidem per Infuſa ex ſpeciebus reſolventibus & abſtergentibus nec non laxantibus, veluti Rhabarb. Polypod. Fol. Senn. Fibr. Helleb. nig. &c. parata, item per Pilulas balſamicas c. Extr. Panch. Croll. acuatas, per ⊖ia digeſtiva, ⦶ſa, ♀iſata & blande diuretica cum abſorbentibus tenerioribus citratis remixta, & denique per Eſſentias reſolventes TRasque alcalinas, velut Eſſ. Pimp. alb. Succin. TRam ♁ii, ♀i, ♎tum aper. Penot. ♀i rectificat. & ſimilia alia; β) ut *irregulares ſpaſtici atque erronei motus*, talem excretionem inducentes *leniantur*, per pulveres antiſpasmodicos ⦶ſos, ℨinos, anodynosve, nec non uſum Specificorum, maxime Eſſentiarum Millefol. Adianth. alb. & Cort. Caſcar. prioribus medicamentis frequentius interponendarum γ) ut inordinatæ ſanguinis *congeſtiones* intercipiantur, per reſolventia, alexipharmaca & temperata diapnoica; primæ viæ ab impuritatibus ſæpius liberentur, per Clyſteres & ⊖ia abſtergentia, maxime tartariſata; & denique partes affectæ hæmorrhoidales, ob frequentem talem affluxum nimium relaxatæ, roborentur per ♂lia & alia conſueta ſecuriora tonica.

§. VI.

HÆMORRHOIDES CÆCE & quidem TVRGENTES, ſi aperturam tempeſtive nactæ fuerint, inſimulque alvus debite reſpondeat, aut per decocta lenientia, laxantia, rhabarbarina vel Clyſteres emollientes provocata fuerit, nihil ferè difficultatis in cura involvunt, præter maturam *mundi-*

fica-

ficationem veſiculæ disruptæ, quæ per moderatam ejusdem expreſſionem ac unguenti digeſtivi applicationem obtinetur, atque debitam illius *conſolidationem* cum balſamicis externis temperatioribus maximè perficiendam. Quodſi vero hanc reſpuant, & vel in verrucoſas excreſcentias degenerent, vel continuo ardore, madore & ſeri acrioris tranſtillatione puſtulas puriginoſas & ulceroſas excitent, tunc juxta methodum in §. IX. & X. h. C. traditam præcipue tractandæ erunt.

§. VII.

TUMENTES autem HÆMORRHOIDES, ob concurrentem maxime inflammationem, aliaque valde moleſta & periculoſa accidentia, plus ſemper negotii in Therapia faceſſunt atque haud raro ſperatum medicamentorum effectum prorſus eludunt; hinc ſtatim ab initio eo maximè invigilandum eſt, ut I) *ſanguis* intra veſiculam *ſtagnans* & ad corruptionem pronus, diſcutiatur per ſacculos è reſolventibus, diſcutientibus & temperatis tonicis parandos, cum lacte decoquendos & calide applicandos, conjunctis ſuffimigiis ex gummatibus & floribus herbarum reſolventium, concinnatis. II) Ut imminens dein *inflammatio* quantum poſſibile eſt arceatur, tam per ſpecifica *externa* ab Autoribus practicis commendata, videlicet Unguentum de Linar. aut Decoctum hujus herbæ pro fotu, Mures marinos cutemque anguillæ in ſuffimigio, Folia recentia Sambuci & Sedum vermiculare minus, conquaſſata, in Cataplaſmate adhibenda, ac denique juxta WEDELII commendationem, Rad. Scrophular. & Fabar. pro amuleto geſtandæ; quam etiam per *interea*, præcipue ⊕ſa, abſorbentia, ☿ina, acidulata & anodyna. III) Ut, his incaſſum adhibitis, *ſuppuratio* tempeſtive promoveatur, per Cataplasmata emollientia & maturantia, fotusque Decoctorum ex ſimilibus ſpeciebus parandorum & cum ſpongia vel linteis applicandorum, quibus dein, ſi impetrato ſuppurationis effectu apertio ſufficiens ope lanceolæ facta eſt, pro mundificatione & conſolidatione obtinenda, *in-*

ternæ

ternæ laxantia per epicraſin, reſolventia, ſuccinata & ♁ia-lia, *exserne* vero Myrrhata, ſuccinata, therebinthinata aliaque temperatiora balſamica & Gummoſa in unguentis potiſſimum proficua ſubjungenda erunt.

§. VIII.

SERPIGO, inprimis HÆMORRHOIDALIS, in ano, ante omnia juſtam conſpirantium affectuum hæmorrhoidalium tractationem per hactenus recenſita remedia, & primariam viarum repurgationem, per laxantia congrua, requirit; deinde lympha & ſanguis â ſero acriori 🜍eo nimium inquinata, corrigi debent per pulveres abſorbentes & præcipitantes, nec non Eſſentias reſolventes, moderate diaphoreticas, diureticas atque balſamicas, & tandem ulcuſcula externa abſtergenda & ad conſolidationem deducenda ſunt per 🝆 Ceræ & Ovor. modo ſeorſim, modo cum Mucilag. Sem. Pſyll. Cydon. Lin. &c. remixta applicanda, ut & per impoſitionem Empl. Stict. Croll. leviter camphorati, non neglecta defenſione peripheriæ, quæ per inunctionem c. 🝆 eo roſaceo & inſperſionem ceruſſæ optime impetratur.

§. IX.

EXCRESCENTIÆ circa anum, ſive verrucoſæ, ſ. fungoſæ fuerint, optime removeri poſſunt *deligatione* & ſectione; prior operantio tunc demum locum habet, quando tales radicem quaſi pendulam exhibent, quæ cum filo ſerico ſucceſſive conſtringitur, donec ſponte decidat; poſterior autem in reliquis cuti arctius connexis locum habet, quâ peractâ ſuccedens hæmorrhagia congrue ſiſtenda & vulnuſcula more conſueto dein conſolidanda ſunt. Si poſt aliquod tempus repullulaverint ejusmodi excreſcentiæ, tunc lenioribus ſepticis, v. g. 🝆 Philoſoph. vel Papiri, aut 🜖lo Cyprio exſtirpandæ ſunt; ſi vero *venereæ* indolis fuerint, tunc interne cum conſuetis medicamentis Anti-♀eis, præcipue pilulis ☿ialibus aliquoties exhibendis & externe cum ☿♎tato rubro unguento ægyptiaco immixto ipſarum extirpatio tentanda erit.

§. X.

§. X.

Majoris autem, præ his, momenti & difficilioris curationis eſt FISTVLA ANI, maximè *completa*, quæ aperturam in- & extrorſum ſpectantem habet. Ad hanc igitur exſtirpandam varios Chirurgi antiquiores pariter ac recentiores adhibuerunt modos, dum alii in ejusmodi caſu *cauteriſationem actualem*, quæ tamen cum ſolummodo in *patentibus fiſtulis* locum habeat, inſimulque multa incommoda atque pericula inferat, diu jam jam exolevit; alii per *ligaturam*, fiſtularum inprimis *patentium* dilaceratoriam quaſi aperturam diſciſſionem fecerunt, easque dein more ſolito ad conſolidationem deduxerunt, quam tamen methodum, tanquam rudiorem nimisque dolorificam hodierni Chirurgi pariter rejiciunt, ejusque in locum potius *inciſionem* ſeligunt, ubi præmiſſo aliquoties laxante quodam ☿li & ſubjuncto uſu anticatarrhalium lignoſorum ſuccinatorum ac ♁atorum medicamentorum, tractus fiſtuloſus circumſpectâ ſectione aperitur, impuritas craſſior per lenia ſeptica aufertur & per decocta mundificantia abſtergitur, humprum affluxus per diſcutientia præcavetur tandemque conſolidatio per balſamica conſueta promovetur, conf. HEISTER. *Chirurg. p. 186.*

§. XI.

In cura TENESMI, quoniam is pure ſymptomaticus eſt affectus, ad primarium ſemper morbum reſpiciendum eſt, quippe quo ſublato hic quoque facilè ceſſabit. Cum autem in genere omnis Teneſmus de proſapia ſpaſmorum ſit, hinc internè ad illum demulcendum, præter medicamenta primario morbo competentia, etiam in uſum trahenda ſunt ⊖ſa, abſorbentia, lenientia, mucilaginoſa, gelatinoſa & emulſiva; externè vero conveniunt clyſteres emollientes & leniter carminativi, cum 🝆eo leniente, vitello ovi & pauco ſacharo parati, nec non fotus modo aquæ ſimplicis bullientis, modo decoctorum ex herbis carminativis paratorum, ſuffimigia cum therebinth. cocta & ſeminibus carminativis excitata, atque applicatio unguentorum

torum mucilaginoſorum c. 🝫 Verbaſci & vitello ovi remixtorum.

§. XII.

PROCIDENTIA ANI requirit primario repoſitionem tunicarum relaxatarum vel mediantibus digitis, præſertim indice vel ſpongiâ aut linteis 🝫is expreſſis carminativo-nervinis & tonicis illitis, perficiendam, quâ obtentâ, ægro jacenti ſupra ventrem, dein ſupponendus ſacculus ex avena excorticata cum 🜄a fol. quercus ad molliculam conſiſtentiam cocta, paratus, cui inſimul pulvis ſubtiliſſimus Maſtichis c. momento Ois remixtus, inſpergendus. Quodſi vero pars prolapſa ob diuturniorem moram, jam inflammata ſit, tunc per epithemata diſcutientia cum vino cocta inflammatio iſta prius auferatur, & dein ordinaria procidentiæ cura ſubjungatur; ſi denique paralyſis ſphincteris ani in culpa fuerit, tunc ſacculi vinoſi ex Herbis aromaticis, roborantibus & tonicis cum Caſtoreo parati applicentur iisque tenerrimus pulvis Gallar. Torment. & Maſtich. inſpergatur, & tandem, ſi ultro tamen de novo prolabatur hoc inteſtinum, retentio ejus per ſubligacula â *Paræo* & *Sculteto* delineata promoveatur. Nec parum juvabit inſidere frequentius aſſeri quercino recenter detruncato & modicè calefacto, quô inteſtinum egregie obfirmabitur.

§. XIII.

ASCARIDUM cura coincidit fere in omnibus cum reliquorum lumbricorum Therapia, quoniam & hæc animalcula iisdem internis pariter ac externis remediis enecantur & profligantur, quæ aliis ejusdem generis opponuntur, hoc tantum unico excepto, quod remedia purgantia Aloetica, Helleborina & Calocynthiaca, Clyſteribus præcipue addita, aſcarides efficaciſſimè exturbent, quale quid etiam de ſuppoſitoriis ex ejusmodi extractis amaris concinnatis & non nimium ſtimulantibus, expectare licet.

§. XIV.

OBSTRUCTIO ALVI præprimis idiopathica, atque â cauſa tam *activa* quam *paſſiva* producta, ſi ſemel in conſuetudinem degeneraverit, admodum difficulter in totum re-

E mo-

moveri poteſt, niſi motu placido, poſt ciborum aſſumptionem maxime inſtituendo, qui tonum inteſtinorum ſeu motum periſtalticum debilitatum optime reſtituit, & potu ſufficiente, tenuiori, probe defæcato nec nimis ſaturato, qui ſcybalorum indurationem & exſiccationem prohibet. Convenit autem duo hæc remedia ſemper combinare, ne ſolus potus inteſtinorum tunicas nimium relaxet & debilitet, ſolusque motus humidum pro lubricandis ſcybalis neceſſarium nimium diſſipet illaque ad ſiccitatem diſponat; proficit etiam, ſi ſubjecta huic moleſtiæ expoſita certo & determinato quotidie tempore huic excretioni indulgeant, eique dein ita inſiſtant, nec non ſi unam alteramve panis offam butyro largiter illitam, prandio & cœnæ præmittant, ac tandem urgente affectu magis ad clyſteres quam interna laxantia confugiant, quippe quæ ſæpius majorem adſtrictionem ſuper-inducere ſolent. Si autem *ſymptomatica* fuerit talis obſtructio, tunc prius inquirendum eſt, an etiam primarius morbus artificialem ejusmodi alvi ſolutionem admittat; chronici enim plerique affectus eam vel maxime requirunt & tunc clyſteres præcipue optime conveniunt; acuti vero non ſemper absque periculo ipſam perferunt, hinc per potum ſaltem ſufficientem & pauca ☉ſa remedia nimiam adſtrictionem præcavere convenit.

§. XV.

ANI denique IMPERFORATIO & CONCRETIO, ſi à tenui membrana dependet, modo dilaceratione digitorum ope inſtituta, modo inciſione & ſectione cruciatim in regione iſtâ factâ, tollitur, niſi forſitan vitium in conformatione inteſtini recti fuerit, illudque prorſus coaluerit, in quo caſu operatio iſta plane irrita erit. Si non totalis ſit hæc concretio, dilatatio per penicillos ê Rad. Gent. r. formatos locum habet, aut, ob dolores hanc comitantes, ulterior diſſectio membranulæ claudentis. Si denique excreſcentia carnoſa circa exitum inteſtini recti obvia anum occludat, mediante cannula quadam, acu breviore & acutiore donata, obſtaculum illud pertundendum, cannula dein linimento quodam anodyno inuncta foramini iterum inferenda ibique tam diu relinquenda eſt, donec per leniora exſiccantia unguenta læſio iſta ad conſolidationem perducta ſit.

TANTVM.

S. D. G.